



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De alterius presbyteri plebesano. xcii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt nullus in dominicis diebus genua flectat.

Cap. LXXXVIII.

Quoniam sunt quidam in die dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, vt omnia in diuersis locis consonanter obseruentur, placuit sancto concilio à Pascha vsque in octauas Pentecostes stantes domino vota persoluere.

Vt presbyteri priuatim fidelibus desiderantibus benedicant, & vt omnis presbyter per familias, per agros, per priuatas domos habeat facultatē benedictiones aperire. Cap. LXXXIX.

Vt presbyteri priuatim fidelibus desiderantibus benedicant. Et inter minutas has discussions, iussum est omni presbytero, per familias, per agros, per priuatas domos pro desiderio fidelium habere facultatem benedictiones aperire.

Vt presbyteri benedictionem episcopalem super plebem facere non debeant. Cap. XC.

Benedictionem episcopalem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia reconciliare, presbytero penitus non licebit.

Vt nullus presbyter alterius plebesanum eo nolente recipiat. Cap. XCI.

Vt nullus presbyter alterius plebesanum eo nolente nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

De alterius presbyteri plebesano, de quē illis qui litem implacabilem inter se alunt. Cap. XCII.

Vt dominicis vel festis diebus presbyteri antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam velit audire. Quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eiiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant, & si inuēti fuerint, statim reconcilientur. Quod si noluerint pacem suscipere, ab Ecclesia eiiciantur vsquequo ad charitatē redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, nisi prius fratri reconciliemur. His itaq; peractis, sacerdotes Missarum solennia ritē peragant.

*Ex cōcil.
Niceno.
cap. 20.*

*Ex cōcil.
habito a-
pud Re-
giā. ca. 4.*

*Ex eodē
cap. 47.*

*Ex concil.
Hāneten-
si, cap. 5.*

*Ex eodē,
cap. 49.*